

§. 1. SIGNA PATHOGNOMONICA duo sunt. Primum est *respirandi difficultas*. Cum enim guttur coarctetur, & angustius reddatur, sufficiens aëris non fit attractatio: hinc pulmonum parenchyma unà cum vasis, prout fas est, non distenditur, & eam ob causam sanguini per eadem liber denegatur transitus: ex impeditâ porrò illâ distributione implentur plus justo pulmones, atque gravantur, unde rursus debita eorum dilatatio magis adhuc sufflaminatur, ut ita pulmones ad receptionem aëris fiant ineptiores.

§. 2. Alterum inseparabile signum est *difficilis deglutitio*; ita ut potus nonnunquam resiliat per nares. Musculi enim, qui cibi & potus detrusionem per gulam adjuvant, *œsophagici & circulatores* dicti, inflammationem patiuntur, ut ita aegrè muniis istis præesse valeant, partim ob gulæ coarctationem à musculis deglutitioni præfectis inductam, partim ob eorundem cohibitum motum, quo & detrusionem illam efficiunt, & simul laryngem in deglutitione sursum trahere debent. Et quamvis œsophagus ab inflammatione liber & immunis esset, tamen quando laryngis summæ partes, & gutturis membrana gulæ incumbens inflammata sunt, non potest deglutitio absque difficultate & dolore fieri, quoniam deglutendus cibus laryngem transire debet, & per gulam delabens cibus gutturis tunicam adfectam contingit & premit.

§. 3. SIGNA DIFFERENTIARUM. *κωάγχις* signa perspicuè satis proponit Hippocrates. (e) *Ab angina* (intelligit (e) *lib. 3. κωάγχιω*, omnium periculosissimam) *suffocatur homo, & in de morb. faucibus ipsi magis inharere videtur, & neque salivam, neque quicquam aliud detrahit, & oculi affecti sunt, & prominent, veluti strangulatis, & intentè per ipsos videt, & ipsos convertere non potest, & anxius est, & exilit frequenter, facies & fauces ardent, imò etiam collum. At videntibus nihil mali habere videtur, & videt ac audit obtusius, & præ suffocatione non intelligit, neque quid dicat, neque quid audiat, aut faciat. Verùm bians decumbit, salivam fundens, ac talia faciens.*

§. 4. In *ωδανωάγχι* respiratio non adeò est difficilis,
NEC